



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAMCONSTITUTIO APOSTOLICA**MATRITENSIS***NONNULLIS DIVISIS
TERRITORIIS MATRITENSIS

ARCHIDIOECESIS, PROVINCIA ECCLESIASTICA MATRITENSIS

CONSTITUITUR ET MATRITENSIS SEDES AD DIGNITATEM

ECCLESIAE METROPOLITANAE EVEHITUR Cum Venerabilis Frater Noster Angelus S. R. E. Cardinalis Suquía Goicoechea, Archiepiscopus Matritensis, audita Conferentia Episcoporum Hispanica, ad maius spiritale bonum persequendum Christifidelium, in ecclesiastica sua circumscriptione degentium, postulaverit ut divisis quibusdam Matritensis Archidioecesis territoriis nova constitueretur Ecclesiastica Provincia, Nos pro certo habentes hoc in animarum utilitatem esse cessurum, preces exaudire statuimus. Quapropter, sententiis auditis probatisque Venerabilis Fratris Marii Tagliaferri, Archiepiscopi titulo Formiano et in Hispanica Didone Apostolici Nuntii, Congregationis pro Episcopis et Secretariae Status Sectionis de Rationibus cum Civitatibus, haec quae sequuntur ex plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis decernimus. Matritensem Sedem, ad hoc usque tempus Sanctae Sedi immediate subiectam, ad dignitatem evehimus Metropolitanae Ecclesiae, iuribus privilegiisque donatae ceterarum Metropolitanarum Sedium propriis. Novam constitutam Ecclesiasticam Provinciam Matritensem constare volumus ex Ecclesia cognomini atque noviter conditis dioecesibus Complutensi et Xetafensi, ablato titulo Complutensi in praesens Archidioecesi Matritensi adnexo. Insuper Matritensem Archiepiscopum pro tempore gradu Metropolitae insignimus iisdemque instruimus iuribus et privilegiis et oneribus obligationibusque astringimus, quibus ceteri Metropolitae instructi sunt et astricti, ad normam sacrorum canonum. Matritensem, qui nunc est, Archiepiscopum, ad gradum Metropolitae promovemus, ceteris orbis terrarum Metropolitis in iuribus, privilegiis, oneribus et obligationibus aequatum. Haec perficienda mandamus Venerabili Fratri, quem supra demonstravimus, Mario Tagliaferri, vel, eo absente, negotiorum Sanctae Sedis in Hispania curatori, necessarias et opportunas facultates iisdem concedentes etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis primo quoque tempore mittendi actus perfectae executionis sincerum exemplar. Quae vero per has Litteras decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuscumque rebus minime obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS SODANO, archiep. <i>Secretarius Status</i>	BERNARDINUS card. GANTIN <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>
---	--

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXIII (1991), n. 12, pp. 1009-1010 © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana